

EX PRIMO LIBRO

Priscorum origo Venetorum: uariarumque de conditione urbis opiniones primo libro referuntur: Quo loco & a quibus primum in stagnis coeptum est edificari: Qui hominum in nouam ciuitatem asciti: Nascentis urbis foedissimum incendium: Primi eius magistratus consulari nomine ac potestate: Vetus ciuitatis Parsimonia & recentiora incrementa: Tribunitiae potestatis administratio quae consulari successit: Vnde Longobardi oriundi: Ingentes eius gentis in Italia successus: Qui ab ea gente sint Venetis fines praescripti: Prima Venetorum in Dalmatas expeditio: Vetus de Marianis ludis opinio: Insulanorum in Gothos auxilia Narseti exhibita: Vetustissimae aedium conditio: Gradensis ecclesia Metropolis declarata: Diluuium in Venetis ingens: Maiora in dies incrementa urbis: Aquileiensis antistitis & Gradensis discordiae: Primi ducis declaratio: Rauenna a Barbaris recepta: Bellum inter Heraclenses & Iesulanos perniciosissimum: Vrsi principis caedes: Nouum militaris magisterii regimen ex Heraclia & Equilio in Medoacum frequens comigratio refertur.

Ex II. Libro

Ducaria administratione in ciuitatem reducta Theodatus Dux excoecatus in exilium actus est: Eundem & Gallae qui ei successit ducatus habuit exitum: Mauritius dux nouo exemplo Ioannem filium sibi collegam in principatu cooptauit: Vnde inter Mauritium & Fortunatum Gradensem antistitem orta sit discordia: Variarum de bello a Gallis Pipini ductu Venetis illato opiniones: Breuis Urbis situs descriptio: Pipinus omnia praeter Riuualtum Venetis ademit: Veneti nauali proelio Pipinum inter urbem & Medoacum uicerunt: Venetorum successum ac Romanorum in Gallicis bellis comparatio: Veneti cum Pipino incolumi libertate debellarunt: Heracliam Particiatius Dux instaurauit: Ducarii ac fori descriptio: Aliquot sacrae aedes in urbe erectae: Quae causa ludorum fuerit qui sub dies Carnispruii ante fores celebrantur: Quae Sarracenorum origo: Diui Marci corpus ex Aegypto Venetias furto est translatum.

Ex Libro III.

Sacerdotes cum primicerio Diuo Marco dati sunt: Obelerius in Coricta insula oppressus capitali supplicio affectus est: Medoacum in eius inuidiam expugnatum incendio est absumptum: Dux Carrosiana conspiratione pulsus in Galliam abiit: Nec multo post per optimatum factionem restitutus atque in Gradum insulam nouissime relegatus uita decessit: Diuo Paulo aedes media urbe erecta est: In Narentanos partem prospere pugnatum Veronenses aduersus Benaci accolae Venetis sunt opibus adiuti: Validissima in Sarracenos Mauros classis instructa est: Quae Mauri circa urbem Romam & reliqua Italia breui gesserint: Veneti & Graeci in Crotoniate sinu nauali proelio a Mauris superati: Pancratii & Sabinæ corpora pontificis dono in Zachariae aedem sunt illata: Ciuilis discordia aliquandiu rempublicam sollicitam habuit: Tradonicus princeps a conspiratis nefarie obtruncatus est: Quando Pouegia incolae coeperit: Venetorum interuentu Gradus insula Sarracenorum obsidione leuata est: Qua ratione Durum Dorsum coeptum sit habitari: Comadum a Venetis in ultionem est expugnatum: Candianus dux in Narentanos pugnant proelio occubuit: Dux & patres Clodiensibus fines praescribere: Quae Hunni in Pannonia gesserint: Hunni Berengarium in finibus Italiae